## Sub Archiepiſcopo Eboracenſi vero ſubſunt Epiſcopi:

Ceſtrienſis 17:8. 53:55 Dunelmenſis 18:59. 55:45 Cariolenſis alias Carlyſſe 17:14. 56:1.
Item Manniæ Epiſcopus in Bala Curi 14:44. 55:27.

Angliæ tribunalia ſiue iuris fora, quas etiam curias dicimus, in triplici ſunt differentia. Alia enim ſunt Eccleſiaſtica: alia temporalia, & vnum mixtum, quod Parlamentum vocant, & ex tribus Angliæ ordinibus conſtat & totius Angliæ corpus repræſentat. Hoc à Principe pro arbitrio indicitur ſummamq; & ſacroſanctam authoritatem habet in Legibus ferendis, confirmandis, antiquandis, interpretandis, & in omnibus, quæ ad Reipublicæ ſalutem ſpectant. Fora temporalia ſunt duplicia, iuris ſcilicet & æquitatis. Iuris fora ſunt, Bancus Regius, Curia camerae ſtellatæ, Scaccarium, Curia VVardorum & Liberationum, Admiralij, Aſſiſæ & alia quædam obſcuriora quæ omittimus. Bancus Regius ita dictus, quod rex ipſe in eo præſideat, Coronæ placita tractat. Camera ſtellata ſuperiori ſeculo inſtituta fuit, vt ibi tractarentur Criminalia, vt periuria, impoſturæ, dolus malus, &c. Bancus communis, quia communia placita inter ſubditos ex iure anglico, quod commune vocant, in hoc diſceptantur, nomen habet. Scaccarium à tabula quadrangula ad quã aſſidetur nomen traxit, in eo omnes cauſæ audiuntur, quæ ad fiſcum pertinent. Curia VVardorum, à pupillis, quorum cauſas tractat nomen habet. Nam cum aliquis moritur, qui poſſeſſiones à Rege tenet, tam hæredes quam eorũ patrimonium redditusque in Regis poteſtate & tutela ſunt, donec alterũ & viceſimum ætatis annum compleuerit. Admiralij curia res maritimas tractat. Aſſiſæ, quas dicimus, in quolibet Comitatu bis anno habentur, in quibus duo Aſſiſarum Iuſticiarij ad hoc deputati cum Eirenarchis ſiue pacis Iuſticiarijs comitati & de ciuilibus & de criminalibus cognoſcunt. Loca autem & tempora in vnoquoq; comitatu edicto publico quindecim ante Aſſiſas diebus denuntiantur. Fora æquitatis ſunt Cancellaria, Curia requeſtarum, Concilia de limitibus VValliæ & parte Boreali: Cancellaria à Cancellario, qui ibi præſidet nomen traxit. In hac ex æquo & bono iudicatur, & ſummum ius, quod & ſumma crux videri ſolet, temperatur. Requeſtarum curia, pauperum & Regiorum famulorum cauſas audit.

Eccleſiaſtica fora præcipua ſunt Synodus, quæ conuocatio Cleri dicitur & ſemper ſimul cum parlamento habetur. Et Synodi prouinciales in vnaquaque prouincia. Poſt hæc Archiepiſcopi Cantuarienſis curiæ numerantur, videlicet Curia de arcubus à loco ſic dictus: cui iudex præeſt, Decanus de arcubus appellatus, qui ad omnium in Cantuarienſi prouincia appellationes reſcribit. Curia audientiæ, quæ omnes prouinci alium querelas, cauſas & appellationes recipit. Curia prærogatiuæ, in qua Commiſſarius de hæreditatibus ab inteſtato ſeu teſtamento delatis, ius dicit. Curia facultatum, in qua præfectus conſtituitur, qui deſideria cognoſcit eorum, qui Eccleſiaſtici iuris, quandoq; rigidi atq; ſtricti relaxationem petunt, & regiſtrarius, qui conceſſas diſpenſationes in ſcripta refert. Curia peculiarium, ad quaſdam parochias ab Epiſcopali iuriſdictione in nonnullis diœceſibus ſeparatas & Archiepiſcopo Cantuarienſi peculiares ſpectat.

Academiæ in Anglia ſunt tres. Oxonienſis 19:18. 52:0. Cantabrigienſis 20:50. 52:31. & Londinenſis 20:41. 51:34.

*Medius Meridianus 18: 20. reliqui ad hunc inclinantur ratione 52: 55. parallelorum.*

# ANGLIAE
## II. TABVLA.

Quæ continet

Northumbriam, Cumberlandiam Comitatus, & Dunelmenſem Epiſcopatum.

Meridiani diſtant iuxta rationem 56:15. Paralleli ad circulum maximum.

XIII.